

sub tempus examinis decisorum expressione, tum a quo praesentati, per quem ac in quorum saltim principalium praesentia fuerint promoti, diligenter connotet, atque sic connotatos in Convocatione electionis alterius Decani praesentet et in effectum cum sigillo Facultatis, Statutis praesentibus ac alijs munimentis eidem electo Decano sub poena trium marcarum reddat. Ubi enim est noxa, ibi debet esse et poena (l. Sancimus. C. de Poen. quae suos regulariter tenet authores. c. Quaesivit. de His quae fiunt a major. part.)

STATUTUM VII.

De Qualitate Professoris ad Collegium vocandi.

Cum discere quisque prius debeat, ante quam alios doceat. (can. Non negamus. dist. 61.) ideo inherendo Statuto Universitatis de electione Collegiatorum et vocatione eorundem ad Collegia nuper conscripto et Libro Statutorum inserto; nullum ad Collegium Juridicum vocari debere Professorem, nisi illum, qui in lectura juris bene exercitatus fuerit, Lectionesque Juridicas omnes et singulas diligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusque Juris exaudiverit, ac super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit illudque cum Lectionibus exauditis Clarissimo Facultatis Juridicae Decano pro tempore existenti ante vocationem sui ad Collegium produxerit. Absurdum enim foret aliquem prius velle docere, quam discere. (can. Si officia. dist. 59.)

STATUTUM VIII.

De recommendatione Professoris vocandi.

Quamvis Professorum ad Collegium Juridicum vocatio ex antiqua praxi et consuetudine ad totam Universitatem pertineat; tamen Praepositus Collegij pro tempore existens, inhaerendo antiquo usui et praxi rationabili ac Conclusioni per Universitatem in Anno 1714. latae et Libro antiquo Conclusionum insertae, occurrente vocatione loci et Professionis, habito prius cum CC. DD. Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laboran-

tem Domui et Facultati proficuum Universitati praesentet, Universitasque hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem vocet, ac a violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis absteineat. Quae enim per vim fiunt, carere debent robore firmitatis. (c. ad audientiam. de Iis quae vi metusve causa fiunt.)

STATUTUM IX.

De Examine Professoris vocati.

Vocatus sic ut praemissum est, ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedrae adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini CC. DD. Doctorum actu Collegium inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, alias hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. (c. Quoniam et ibi gloss. v. Qui sit idoneus de Magistris.)

STATUTUM X.

De disputatione vel principiatura ante Ingressum permittens.

Professor ad Collegium vocatus licet si per examen privatum vires quid valeant, humeri quid ferre recusent, probaverit, ad Cathedram nihil-ominus et Professionem fidei sub poena superioribus immediate statutis descripta, admitti non debet, nisi prius publicam Disputationem ex Utroque Jure desumptam, Typis impressam et per Clarissimum Decanum Facultatis Juridicae protunc existentem approbatam expediverit, aut hac de speciali favore et consensu CC. DD. actu Collegium Juridicum inhabitantium Doctorum et Professorum ad certum tempus ex aliqua causa rationabili dilata, se per Principaturam ad possessionem Cathedrae admitti petierit. Qui enim honorem Cathedrae assequi desiderat, necesse est, ut vires suas cum hoc, quod subiturus est, onere metiatur. (can. Non est putanda. 1. 9. 1.)